

ne PAVLVS noster palam se Sabinianum professus est. c)
 De CAIO autem, vtrum cum Sabinianis, an cum Proculeianis fecerit, dubium videtur. In fragmento enim, quod ex ipsius *rerum cottidianarum seu aureorum Libro II.* TRIBONIANVS nobis seruauit, d) Proculeianorum sententiam tuetur, contra vero in Institutionum eius fragmento, e)
 Sabinianis accedit. Quare omnino alteruter horum locorum corruptus videtur. Sed quis? ANIANVM institutio-
 nibus manum adulterinam adhibuisse ALEANDER, f) &
 cum CVIACIO SCHVLTINGIVS g) malunt. Contra ve-
 ro TRIBONIANVM adulterasse alterum CAII locum ma-
 gis placuit OISELIO h) & MERILLIO, i) neutrum defi-
 nit EV. OTTO. l) Quam vero rationem hac in re sequuti
 Proculeiani, de eo miror disputasse viros doctos, veluti
 MERILLIVM & OTTONEM. Aperte enim PAVLVS, qua-
 vsi sint ratione, indicat, dum dicit, propter premium pictu-
 rae. Quare ergo aliam iis affingamus rationem, & de ea
 multum laboremus? Forte non satis idonea illa videtur,
 quam profert PAVLVS. Sit ita. Demus. Sed an ideo
 definit esse ratio, quae mouit Proculeianos, vt ita sentirent?

§. X.

c) in L. 23. §. 3. D. de rei vindicat.

d) in L. 9. §. 2. D. de acquir.
rer. domin.

e) Lib II. Tit. I. §. 4. extr.

f) ad hunc CAII locum, ubi
diximus sub lit. b.

g) ad eundem CAII locum ib.

h) itidem ibidem.

i) ad §. 34. I. de rer. diuis. Vide
quoque Observ. VIII, 28.

l) ad §. 34. I. de rer. diuis.